Kopciowic Joannis: Quaestio iuridica de constitutionibus.

~~2465 Prawo~~

QVÆSTIO IVRIDICA. DE CONSTITVTIONIBVS.

Quam
in publicum examen

M. IOANNES KOPCIOVVIC,
Phil. D. & Professor, Contubernij Iurisperitorum Senior, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium Canonicus.

In Alma Academia Cracouiensi
Lectorio DD. Ureconsultorum.
Superiorum Permissu,
Anno à Christo Nato, M.DC.LXI. Mense Iun. Die 2 Hora .

EXPOSVIT.

CRACOVIÆ,
In Officina Viduæ Lucæ Kupisz, S. R. M. Typogr

XXX.

In Stemma Almæ Academiæ CRACOVIENSIS.



Regibus vt cordi ſit res Academica; parquè
Sit ſcelus vt Reges, ſic violare Schoas
Regia Palladios cingunt diademata faſces,
Quodquè decus Cathedris, hoc ſolioquè micat.
Aureus in Sceptris fulgor nec deſinet vnquam,
Tu modo ſis Matris firma columna Tuæ;
Infractas ſtupuit Mauors, quo præſide Muſas
ROSCZEWI, Craciæ gloria prima Togæ;
Ferreus in Muſas, qui nunc quoq; detonat imber,
Sentiat inuictum pectus adeſſe Tibi.

VLADISLAVS de Chomentow CHOMENTOWSKI,
Philoſophiæ & Iuriſprudentiæ Auditor.

QVÆSTIO
DE
CONSTITVTIONIBVS.

Ad c. Canonum ſtatuta ext. de Conſtitutionibus. iunctâ L. Leges vt generales C. de Legibus, & Conſtitutionibus Principum, & edictis.

V. Conſtitutiones Spiritualium, & Sæcularium Principum, cauſâ boni publici latæ, ac promulgatæ, ita ad ſui obſeruātiam omnes ſtatuentium obligent ſubditos: Vt nemo in Iudicijs, & actionibus, ſuo ſenſu proprio, ſed prout Lege publicâ ſui Principis præſcriptum eſt, (ne ſi cōtra prohibitionem faciat, actus reddatur nullus, aut annullandus) regi debeat, nec ne?

CONCLVSIO I.

Conſtitutiones æquè per Spirituales, atq; Sæculares Principes, boni non niſi causâ publici ferendæ ſunt, ac promulgandæ.

COROLLARIA.

1. *Principi quantumuis non recognoſcenti Superiorem, non omne quodlibet, licet, ſed quod decet, aut expedit.*
2. *Nihil eſt conuenientius Principi, quàm ſatagere. Vt tuta ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur audacia, nocendiq; cupiditas.*
3. *Imperatoriam Maieſtatem, non ſolùm armis decoratam, at etiam legibus decet eſſe ſuo in Imperio armatam, vt vtroq; tempore, & belli, & pacis, ritè gubernetur.*
4. *Natura legis eſt, diſponere de futuro, non de præterito, niſi caueatur de lege, quòd extendatur ad præterita, vel pendentia.*
5. *Exemptio eſt Principis beneficium, contra Ius commune indultum, quam plenè impertiri, ſolius eſt ſuperiorem ſe non recognoſcentis.*

CON-

CONCLVSIO II.

Conſtitutiones Spiritualium, ac Sæcularium Principum, omnes indiſcriminatim, ad ſui obſeruantiam ſtatuentium obligant ſubditos.

COROLLARIA.

1. *Ad obligationem legis, nihil intereſt, ſit corpori Iuris inſerta, aut non, per edictum, reſcriptum, proprio motu, aut ad poſtulationem, ſi modo Princeps, pro lege latâ haberi velit.*

2. *Nil refert, faciat quis expreſsè contra legem, an in fraudem legis, quantùm ad pœnam legalem.*

3. *Non eſt licitum inquirere ſubditis in Leges, ſint ne iuſtæ, an iniuſtæ? quia Princeps, non præſumitur quidquam eorum, quæ ad ius, & iuſtitiam ſpectant, ignorare, ſed omnia in ſcrinio ſui pectoris habere.*

4. *A iure antiquo non eſt recedendum, niſi quid excipiatur in nouo; ſed nec conſtitutio ad compendium deducens, eſt ad diſpendium trahenda.*

5. *Conſuetudinis quantumuis longæuæ, ſit licèt non leuis authoritas, tamẽ non adeò eſt valitura, vt legem, aut rationem vincat.*

CONCLVSIO III.

Nemo de Iurisdictione statuentis vtroq; in foro, in Iudiciis, aut actionibus, suo sensu, sed Iuris publici regulâ regi debet.

COROLLARIA.

1. Erubescentiam suám allegat, qui ignorantiam allegat, nisi fortè sit Monachus, Miles, Rusticus, Mulier, Minorennis.

2. Iudex non ex propria, quam habet super facto, scientiâ, sed ex allegatis, & probatis, sententiam absolutricem, vel condemnatricem ferre debet.

3. Iudex in dubiis, aut in Casibus à iure non expreßis, ad similia progredi debet, vel æquitate seruatâ, ad humaniorem partem inclinare.

4. Nil tamen obstat, vt Iudex aliquando suo sensu in iudicando vtatur, si modo hunc ad normam Canonum, aut Legum accommodet.

5. Iudex non potest ferre sententiam condemnatricem in quenquam, nisi in vocatum, vel confessum, vel legitimè conuictum.

CON-

CONCLVSIO IV.

Actus contra legis prohibitionem factus, est ipso iure nullus, aut annullandus.

COROLLARIA.

1. Sententia lata contra leges, vel Canones, licet non sit appellatione suspensa: tamen ipso iure non subsistit.

2. Non in solo foro Canonico, at etiam in Ciuili, præscriptio nequit esse legitima, cum mala fide.

3. Recipiens rem Ecclesiasticam, aut dans in Emphiteusim contra formam Extrauagantis AMBITIOSÆ De rebus Ecclesiæ alienandis, aut non? *non facit fructus suos, & perdit omnia melioramenta, inibi facta, & pecuniam.*

4. Nec stipulatio, nec mandatum, nec iuramentum tenet in ijs, quæ sunt per legem, vel mentem legis reprobata.

5. Mulieres pro alio non possunt legitimè interuenire.

Duo sunt, quibus principaliter Orbis regitur: Authoritas SS. Pontificum, & Regalis potestas. dist. 96. c. Duo sunt. *Sicut Ecclesiasticarum Legum, Ecclesiasticus Iudex est administrator: ita Ciuilium, non nisi Ciuilis debet esse executor. c. Sicut. II. q. 1.*

BOnus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis: sed iuxta Leges, & Iura pronuntiat; statutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum, & meditatum domo defert: sed sicut audit, ita iudicat; & sicut se habet negotij natura, decernit, obsequitur legibus, non aduersatur; examinat causæ merita, non mutat. *c. Iudicet 3. q. 7.*

Sub Felicissimis Auspicijs

Perillustris, Magnifici, & Admodum Reuerendi Domini,

D. ADAMI ROSZCZEWIC,

I. V. D. & Professoris, Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Canonici, Collegiatæ SS. Omnium Archidiaconi, S. Nicolai ad Cracouiam Præpositi, Iuridicæ Facultatis Decani, ac inclyti Studij Academiæ Cracouiensis

GENERALIS

RECTORIS

Vigilantissimi.